



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Index Secundus Conclusionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

INDEX SECUNDUS CONCLUSIONUM.

DISPUTATIONE PRIMA.

De Objecto Fidei.

Quid Objectum ut sic. Quid Objectum Materiale. Quid Formale. Quid Attributionis. Quid Objectum Considerationis.

De materiali Objecto Fidei.

Objectum Materiale fidei adæquatum non est solus Deus. Nec Deus & creatura, sed revelabile nominaliter sumptum. Sæpè tamen fides pro cognitione anigmatica antecedente cognitione, quæ vocatur faciei ad faciem, habet pro objecto adæquato, Deum. Sed quid sentiendum de Objecto essentialiter irrevelabili?

De ratione formali quæ.

Objecti Formalis Fidei, Ratio Quæ, est veritas prima in dicendo. Sed non veritas intrinseca credibilium. Nec promissio prout condistincta veridicitati. Formatur conceptus de veritate prima in dicendo.

Idem formale fidei, ingreditur veritas prima in cognoscendo. Imò & veritas in Essendo non tamen Deitas qua talis. Nec sub Formalitate excedentis veritas formalisat fidem.

De ratione Formali propter quam seu resolutorio Fidei.

Habet etiam fides rationem Formalem Propter Quam. De qua in quonam punctus est difficultatis? Variæ circa hoc explanationes.

In particulari hoc motivum, non est auctoritas Ecclesiæ, nec veritas hujus conditionatæ: si Deus est, verum dicit. Nec propositio Parochi. Cui etiam tribui non potest, quod sit dictio Dei mediata.

Ut resolvatur quodnam sit motivum & resolutorium fidei supponendum est non omnes quidem actus Intellectus & voluntatis, habere distinctum re objectum materiale à Formali, saltem tamen habent ratione distinctum. Sed hic assensus non semper est discursivus. Quando autem est discursivus, duas involvit præmissas. Licet sit contentus interdum uno resolutorio. Quod resolutorium, debet esse proportionatum suo Habitui. Consequenter potest esse non evidens, modo sit immediatè attingibile.

Quo posito: Hæc propositio: Deus est veritas prima ultimum resolutorium habet: Quia dixit se esse veritatem primam. Ipsum autem Ly: Deus dixit, habet pro ultimo resolutorio, se ipsum. Unde ultimum resolutorium prout importat determinativum, ut aliquid sit objectum fidei est Ly: Deus dixit. Imò & veritas in Cognoscendo & Essendo in quantum transeunt in species objecti fidei. Quamvis ultimum resolutorium fidei in ratione veræ, sit ipsa veritas prima in Essendo. Distingueturque adhuc conditio assentiendi intellectualiter per fidem, à motivo assentiendi. Nec committetur in hoc circulus vitiosus. Ipsa enim hæc propositio: Deus est, assentiendi per fidem. Et licet in ordine Metaphysico prius sit assentiendi ad esse quàm ad dicere, non tamen in ordine fidei.

Posita distinctione revelationis Activæ & Passivæ. Revelatio passiva spectabit quidem ad conceptum Objecti Formalis Fidei. Non erit tamen motivum formale Fidei.

DISPUTATIONE II.

De Objectis Fidei in Particulari.

Privatim revelatum est objectum fidei divinæ. Is cui sit revelatio privata interdum obligatur ad credendum. Interdum non. Non obligatur tamen ad credendum semper. Autem quibus non est facta revelatio, si habeant, motiva credibilitatis, de facta verè revelatione tenentur non discredere. Non tamen credere. Licet in casu aliquo possit esse obligatio credendi etiam in illis. Assensus privatæ revelationi fit ex habitu fidei. Secus si non haberentur motiva credibilitatis sufficientia.

Quid mediata Revelatio & quæ ejus divisio. Revelato definito revelatur definitio. Revelato universaliter revelatur ne particularia. Universale spectatur Physicè & metaphysicè. Deus universalis Physicè spectati format conceptum formaliter, Metaph. spectari æquivalenter. Hinc particularare in universaliter Physicè spectato revelatum erit objectum Fidei. Revelando tamen universale Metaphysicè acceptum, non revelat particularia qua talia. Utroque modo sumptum universale revelat Deus.

Revelata radice revelatur ne passio: Revelata radice, revelatur passio metaphysica, secundum id, quod dicit in recto. Non secundum id quod dicit in obliquo. Risibilitatem v.g. Metaphysicè sumptam, potest Deus revelare. Nihil tamen de illa revelavit.

Si nomine præmissæ probabilis, veniat præmissa cujus objectum non est revelatum, non erit conclusio, de Fide. Secus si sit revelatum, licet de hoc non constet, nisi per moralem certitudinem. Assensus deductus ex præmissis supernaturalibus potest esse in Entitate naturalis. Sed potest etiam esse in Entitate supernaturalis. Non tamen si ad illum assensum, concurrat solus habitus Theologiæ.

Putativè revelatum non potest esse objectum fidei divinæ. Possibilis tamen est qualitas, attendens ad putativè revelatum. Non erit illa qualitas rigorosè habitus fidei.

DISPUTATIONE III.

De Passionibus Objecti Fidei.

De certitudine.

Passiones fidei duæ: Certitudo & Obscuritas. Quid Certitudo, alia est objectiva alia subjectiva. Objectiva quæ distinguitur à veritate. Rejiciuntur plures conditiones certitudinis. Assensus fidei & assensus certissimus certitudine objectiva. Sed non gradualis. Nec subjectiva.

Hæc suppositio si per impossibile motivum Metaphysicum esset contrarium fidei, illud potius defererem quàm hoc, est suppositio impossibilis,

bilis, non tamen tollens se ipsam. Universaliter quid illa? Certior est fides certitudine Metaphysica. Certior ite est objectivè scientia infusa. Sed non subjectivè. Æquant se certitudines objectivæ Fidei & visionis beatæ. Superat visio certitudine subjectiva. Fides Naturalis, insitens veræ revelationi divinæ & supernaturalis, nõ habet æqualè certitudinem ratione principii. Æqualem objectivam. Estque assensus ille fidei naturalis, certior quo cunque naturali. Deus etiam de absoluta potentia non potest mentiri. Non tamen ne infunderet qualitatem erroris obligatur ad hoc veracitate. Quamvis illam qualitatem infundere non possit. Sicut nec actum erroris, quo concipiatur v. g. cælum esse lapideum, & hoc esse in mente Dei Suppositio quid sit amphibologia. Infertur amphibologicè posse Deum loqui.

Possibilis est tamen cognitio supernaturalis probabilis non nisi. Et quæ comparatæ ad unum instans sit vera comparatè ad aliud falsa. Non tamen erronea simpliciter. *De obscuritate Fidei.*

Alia passio fidei est obscuritas. Non habet illa rationem motivi. Præter evidentiam formalem datur & objectiva. Quid illa. Si potest videri essentia divina sine attributis potest videri, & revelatio activa non viso Deo. Et è cõverso. Revelatio passiva intuitivè cognita non est necesse intuitivè videri Deum. Licet sit necesse præsuppositivè cognoscere eundem. Præcisa ratio testimonii, fundat semper assensum obscurum.

Non apparet implicantia, quate cum visione beatæ non possit stare fides. Cum actu item scientiæ. Cum actu item intuitivæ. Item cum opinione & fide. Ostenditurque universaliter, quid requiratur ad veram Contradictionem.

DISPUTATIONE IV.

De Conditionibus Applicantibus Objectum Fidei.

Quid venit nomine conditionum Objecti fidei. Quotuplex hæc conditio, semper debet intervenire aliqua applicatio credendorum. *De motivis credibilitatis.*

Applicant fidem motiva credibilitatis. Aliud est verum aliud credibile. Ut aliquid sit credibile fide divina, non sufficient motiva credibilitatis probabilia. Debet item fidem antecedere iudicium evidens. Unde nec dantur assensus fidei infirmi. Habent ergo fideles motiva credibilitatis evidentiæ. Quæ evidentiæ ex parte subjecti, non est maxima.

Recensentur in particulari hæc motiva. Ex accidenti in Confirmationem falsi potest fieri miraculum verum, sed non per se. In Rudibus quod discerniculum fidei. Non est juris Theologici decernere, quo defacto motivo credibilitatis moveantur Rudes. Moventurque iisdem motivis quibus docti, sed alia methodo. Multum in illis deferendum securitati internæ, quam habent de credendo. Quæ pendet principaliter ab Illuminatione Spiritus Sancti. Iudicium de motivis credibilitatis est in Entitate Naturale. Superveniens huic iudicio Illuminatio Spiritus S. quid est?

De imperio voluntatis.

Præcedit etiam actum fidei voluntas credendi seu imperium. Sine quo posset dici actus fidei. Pro alio statu, posset esse hoc imperium necessitativum. Non pro præsentis. Hæc voluntas credendi, est in Entitate supernaturalis. Quid pia affectio?

De propositione Fidei per Papam.

Pensatis rationibus utriusque partis. Papam esse verum papam est objectum fidei, conditionatè. Ex sola præcisè ratione applicantis & proponentis mysteria fidei, non infertur hunc Papam esse verum Papam, Sed ex eo præcisè, quod

omnis legitime Electus sit verus Papa, de fide est, Clementem dicimus v. g. esse verum Papam. Colliguntur variæ hanc materiam concernentia.

DISPUTATIONE V. *De Speciebus, Habitibus, Assuetudine, Necessitate, Subiecto, oppositis Fidei. De Speciebus.*

Species concurrentes ad actus Supernaturales, adeoque ad actus fidei, non sunt supernaturales. *De Habitibus.* Dantur habitus supernaturales. Possibiles sunt habitus supernaturales infusi, & in particulari fidei, qui non tantum dent simpliciter posse, sed etiam facile posse. Defacto tamen habitus infusus, non faciliat. Sed ex actibus supernaturalibus acquiruntur habitus supernaturalis in entitate non fit simul actus naturalis circa objectum, circa quod, fit actus supernaturalis. Pensatis rationibus, utriusque partis An supernaturalis physicè augeant suos habitus. Infertur, non implicare, quod ab actibus supernaturalibus, intendatur physicè habitus illis proprius. Defacto tamen id non fit. Pensatis item rationibus utriusque partis. An gratia physicè producat suos habitus. Infertur, id non implicare. Et defacto, saltem aliquos habitus, physicè causari à gratia. Denique pensatis rationibus utriusque partis: An habitus fidei prius infundatur, quam habitus charitatis. Infertur: probabiliter esse, quod habitus fidei, non dependenter à gratia producatur, qui habitus (idem dic de reliquis habitibus) etiam remisso actu, intenditur. *De actu & necessitate Fidei.*

Post Formam. Decernitur, Fidem non posse esse decursivam Formaliter. Fides est necessaria ad salutem. Sed nisi auctoritati deferatur, posset aliquis adultus salvari, etiam in præsentis rerum statu, sine fide stricta, licet non possit salvari, sine fide latius sumpta. Quodnam subiectum fidei. Et quid infidelitas.

DISPUTATIONE VI. *De Spe.*

Si sumatur spes, prout est spes, seu habitus versandi circa speranda à Deo, objectum illius materiale, est: Bonum nobis. Si autem sumatur pro habitu præceptivo bonitatis æternæ, in hoc sensu, objectum illius materiale, est Solus Deus. Sed non Beatitudo formalis. Beatitudo ut forma objectiva perfectiva nostri appetitus, non est Formale objectum spei. Nec omnipotentia. Sed Deitas prout habet rationem bonitatis, quæ bonitatis in Effendo, quæ in auxiliando. Ratio sub qua objectum spei, si spectetur penes objectum illius materiale, quod speratur, est futurum. Quid arduitas. Non est illa Ratio formalis propter quam spei. Spes non extenditur ad sperandum bona alteri, nisi in quantum concipitur per modum unius aliquo modo, cum sperante. Spes est virtus voluntatis. Prærequirit aliquos speciales actus intellectus. Sed non hunc: Non damnari, si non peccarem. Nec hunc: Iudicio me fore salvum. Præcisi quomodo possunt habere spem. In Damnatis. Et Beatis, non datur habitus spei. Secus in animabus purgatorii. Desperatio non rectè definitur: quod sit motus voluntatis positivè recedentis à beatitudine. Sed est passiva non volitio beatitudinis æternæ, ut potest non consequenda. Potest Deo præcisi revelare suam damnationem. Etiam si tunc actu sit in gratia Dei. Nempe sine motivis evidentiis credibilitatis, debet induci in animum, quod id fit sibi revelatum.

DISPUTATIONE VII. *De Charitate.*

Objectum materiale charitatis quæ charitas est, non solus est Deus. Sed tantum Charitatis prout est habitus fruendi. Objectum autem eiusdem Formale, est ipsa Deitas prout habet rationem bonitatis primæ. Pensantur argumenta quænam sit Ratio, propter quam Charitatis. Charitas amans Deum propter illius bonitatem non amat, solum prout est principium supernaturalium. Nec prout est Auctor solum naturalium, sed prout est radix utriusque illius perfectionis, vel prout est bonitas per essentiam. Si quis nomine amoris amicitia, seu amoris, gratia amari, accipiat bonitatem includam in ipso amato, nomine autem amoris concupiscentiæ, accipiat amorè, propter illud seu rationem eius, quod non includitur in amato, in ista acceptione, non posset Creatura amari propter Dei amore amicitia, sed tantum amore concupiscentiæ. Sed amor amicitia non stat in hoc amari, licet etiam amari possit amore amicitia propter bonitatem sic includam. Possunt amari Creaturæ propter Deum & amore amicitia & amore concupiscentiæ. Amor, ille proficitur ab eodem habitu, licet futuri sint actus ipsi distincti specie. Potest amari proximus propter bonitatem, quam habet sistendo in illa. Potest amari proximus propter dona supernaturalia, non sistendo in illis ipsis. Quomodo non sistitur in illis, quæ talibus, sed amatur ulterius propter bonitatem in creatura. Ille actus spectabit ad habitum charitatis Theologicæ. Quando autem in illis sistitur amando proximum, actus ille, non erit virtutis Theol.

Collegii Societatis Jesu Padiborna Anno 1683

R. P.
THE MLOD
ZIA NOWSKI
Tom. I. c. 2.
D. VI